



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 84. Regina a Senatu ad mortem damnata, ac Elisabethæ fallacia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

§. LXXXIV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1586.*Regina a Senatu ad mortem damnata,
ac Elisabethæ fallacia.*

Congregata Curia Proceres, ac Ple- *Cambden in*
bæi, ex quibus eadem erat con- *annal. Regn.*
flata, numero quadringenti rem discu- *Elis.*
tiebant, ac Scotiæ Reginam læsæ Ma- *Hist. d' Angl.*
jestatis crimini obnoxiam declarabant, *de Rapin*
quin tamen mortis sententiam pronun- *Thoyras*
tiarent, cum de pœna in hoc crimen, *tom. 6. l. 17.*
cujus Maria insimulabatur, statuenda
judicium legibus, atque Elisabethæ
Reginæ relinquere statuissent: quapro-
pter cuncta, quæ Reginæ jussu fuere
divulgata, duntaxat ad hæc verba re-
stringebantur. „A prima Junii die an-
„no vigesimo septimo Regni Elisabethæ
„sæpius adversus Regnum per Anto-
„nium Babingtonum sciente, & intel-
„ligente Maria, quæ in hujus Regni
„diadema jus sibi competere contendit,
„tumultus fuerunt suscitati, imo ipsa-
„met etiam plura, quæ in Reginæ exi-
„tium tendunt, procudit, atque machi-
„nata est.„ Hæc sententia die vigesi-
ma nona Octobris in alio Senatus con-
fessu fuit confirmata, porrectoque li-
bello Reginæ supplicatum, ut ean-
dem executioni dari juberet.

Interim Maria Regina suæ damna-
tionis nuntium cum stupenda animi

Dd 3

firmi-

Sæcul. XVI.
A.C. 1586.

firmitate percepit, atque oculis, manibusque ad cælum elevatis Deo grates rependit, quod pro fidei defensione mortem subire permetteretur, insuper cum ingenti verborum gravitate subjungebat: „haud mirum mihi accidit, quod Angli regiae stirpis Principem tam indigne habeant, cum jam antea sæpius suorum Regum sanguine manus suas polluere non dubitarint. (*) Ceterum quoniam sententia executioni mandari haud potuerat, nisi prius Reginae chirographo firmata esset, hinc Proceres eandem supplices adibant, ut ipsius sigillum apponi, mortisque judicium promulgari juberet: insuper hi scelerati eisdem, quamvis jam aliunde id ipsum sibi nimia credendi propensione persuasum haberet, suggerebant, quod hujus Reginae mors ad propriae suæ, sui que Regni salutem necessaria esset, illius vero vita eidem noxia evaderet, ac propterea illam veluti mortis ream declarare oporteret: præterea iidem addebant, quod nulla in Mariae poenitentia spes superesset, eo quod illa quamdiu viveret, novam conjurationibus materiam præbitura,

(*) Anno 1327. Angli Eduardum II. & Anno 1400. Richardum II. & postea An. 1649. 30. Jan. Carolum I. carnificis manu e medio sustulerunt.

tura, majoresque conjuratis animos
semper sit factura, adeo, ut crudelis mi-
sericordia esset, si toties mortis prome-
ritæ fieret gratia, verum cum hi nul-
lum a Regina responsum pro tempore
ferrent, eam denuo adeunt, & flexis
in terram genibus orant, ut sui, suo-
rumque rationem habere vellet, ne-
que sententiæ adeo justæ executio-
nem ulterius differendo se, regnum-
que in manifestum exitium daret.

Ceterum ex dolosis his artificiis fa-
cile comprehendi valet, quod Elisa-
betha studiose aliorum importunitate
sefe adactam fuisse, ab aliis credi vo-
luerit, ne ex vindictæ impetu ad tam
iniquam sententiam impulsæ crederetur.

§. LXXXV.

Mortis sententia Londini promulgata.

Elisabetha clangentibus etiam tubis *Thuan. l. 86.*
hanc sententiam die quarta De-
cembris publico edicto promulgari jus-
sit, quin tamen illam suo chirographo,
aut aperto consensu firmaret, ut populo
suo persuasum faceret, quod nonnisi va-
lidis Senatus sui sollicitationibus ex-
pugnata consenserit. Re comperta Sco-
tiæ Regina nullam sibi gratiæ spem su-
peresse facile conjiciebat: mox etiam
Thronus, cunctaque regiæ dignitatis
insignia eidem auferebantur, imo non-

D d 4 nisi

Sæcul XVI.
A C. 1586.